

nerales animi Et sanè videntur esse lætitia atque tristitia: impetus & remissio: sæuitia ac misericordia & audacia. Sunt tria fermè coniuncta simul impetus & sæuitia atque audacia, quoniam cum motu perturbato animi sunt eiecta ratione. Ob id vnumquodque horum ab iracundia deriuantur. Quapropter & ita rationem expellit aut suppeditat, at ratio perturbatur, aut ab immodicis sonis, aut incomptis & magnas mutationes habentibus atque asperis. Hæc autem, vt ita dicam, nulla est musica. Sed neque musica vlla tristitiam gignit cum vt dixi, tristitia nil aliud sit quàm mortis imago, musica autem vitam fouet. Vnde non immeritò fertur Xenophilus musicus centum quinque annis sine aliquo incommodo vixisse, quod singulare esse exemplum in humana vita refert Plinius. Relinquitur igitur tandem, vt musica maximè moueat tres affectus lætitiã, remissionem & misericordiam. Et quod ex his postmodum ad labores insurgamus intentius, hoc non est ex musicæ vi aut facultate, sed consequentibus ad illa alia causis. Neque ergo horum causas ex diuisionibus atque distributionibus voluntariis musicæ considerare oportet, sed ex ipsa rerum natura atque essentia. Veluti intentionis & remissionis, asperitatis atque suauitatis celeritatis ac tarditatis, consonantium aut dissonantium vocum atque mutationis: hæc enim differentie præcipuæ sunt vocum, vel etiam teste Aristotele. Verum non obscurum est: quemadmodum remissiones fiant animi affectuum, cum remittuntur voces aut intenduntur ad earum intentionem. Sed non est æqualis ratio, quoniam natura nostra ad remissionem naturaliter inclinata est, ad intentionem non ita, sed per vim quandam aut medio voluptatis, aut cum anima purior est à corporis impedimentis. Et ob id ad studia nil aptius est pura sobrietate: nihil ineptius crapula atque temulantia. At lætitiæ causæ sunt. & concordia vocum, & mutatio ex aspera in suauem non secus ac eius qui euadit è paupertate vel è molestia aliqua aut dolore aut alio incommodo, tum intensio vocum ac liber sonus. Vnde in lætitia solent homines exclamare. At ad commiserationem mouendam omnia remitti oportet ex magna in parua, adeoque deficientem ex aspera in leuem, ex veloci in tardam, ex dissona in consonantem. Antiqui ergo (vt author est Cælius Rhodiginus) Dorico ad temperantiam & moderationem utebantur, scilicet quoddam non haberet præcipites lapsus, neque arduas intentiones: Phrygio ad impetum & bellicum ardorem, scilicet per asperas intentiones: Lydio ad fletus & lamentationes per casus & remissiones longas ac suauis: ideo funeribus peculiaris: Mixolydio ad commiserationem, vt defectiones interponantur & breues abruptæque remissiones, iuuantque in hoc plurimum & sensus verborum, familiaris hic tragædiis: Æolicus qui & Ionicus tranquillitatis animi author est somnumque conciliat: Dorico non ab simili sed suauior & mollior: idèd chromatici generis.

In lib de  
Audibilibus.

Lib. 9. cap 3.

Quæ verò ad cæli motus referuntur, diapason quidem refertur ad motum diurnum, nam maximo constat, & exactissimo intervallo, vnusque est in omnibus & iucundissimus & omnia continet, velut & diuturnus motus. Propriis autem tam erraticis quàm fixis, qui etiã æqualitati propinquior est, & ad maiorem distantiam scilicet declinationis signiferi ab æquinoctij circulo ad diapente refertur. Rursus diatesseron quòd minimo constat intervallo ac maximè inæquali, & per se quidem quasi non necessario ad motum in latitudinem refertur, is enim exiguus est & inæqualis. Ex horum itaque duorum compositione quemadmodum & ex diatessero & diapente conformatur diapason, pulchra construitur exortus & occasus syderum ratio, quæ primo motu constat.

Porro de participatione diapente, quam non solum vlturpamus in instrumentis fistularum organis dictis: sed etiam in fidibus monachordorū seu clauichordorū (ita enim nunc vocantur instrumenta quibus caruerunt antiqui) non alia est ratio, quàm quæ dicta est constituendarū consonantiarū in ditonis & semiditonis sexaque vtraque. Vt enim quatuor consonantiæ suauiores efficerentur, necesse fuit vnam, scilicet diapentem variari. Exempli gratia, sint fides expositæ octo, & vt constituatur proportio h ad c, vt 128. ad 80. id est vt 8 ad 5. c facta est remissior octogesima, quare cum 81. diapente a vt habeat ad 121. cum dimidio, erit ad 80. maior  $1\frac{1}{2}$ . id est octuagesima parte 120. quare intentior diapente. At in diapaso omnia ad idem redeunt: horum etiam causa semitonia nigra illa addita sunt. Sed hæc tractatio proprium locum exigeret, secus esset nimis curiosi illa huc traducere, quemadmodum, & vt vellemus Philosophiam naturalem, moralem, & mathematicam ad musicam traducere proportionem. Melius sanè fuisset subtilioribus rationibus hanc mensuris motuum astrorum prout conueniunt ( quantum fieri potuit ) aptasse.

*Propositio centesima sexagesima septima.*

Proportionem musicam ad sapores & odores coaptare.

Melius fecisset Ptolemæus, si hanc proportionem ad sapores & odores & picturas, quemadmodum inuenimus nos, applicasset, vel vt Vitruuius ad machinas, poterat enim hoc scire, cum Vitruuius plusquam centum quinquaginta annis Ptolemeum antecesserit. Et quanquã Latine scripserit, non tam turpè erat latina legisse, aut conuersa ab alio quopiã intellexisse, quàm nesciuisse necessaria pulchraque inuenta aliorum clarorū virorū, & quod deterius erat, rerum memorabiliū loco fabulas subtexuisse. Ergo vt ad rem veniam: musica proportio bifariam inuenitur in saporibus: simpliciter, & ex comparatione, & simpliciter quidè summa suauitatis ad diapason refertur: est enim suauissimus concensus in